

DE MAGISTRATIBUS MUNICIPALIBUS.

1.56.1

Imp. Constantinus A. ad Florentium pp.

Decuriones ad magistratum vel exactionem annonarum ante tres menses vel amplius nominari debent, ut, si querimonia eorum iusta videatur, sine impedimento in absolvendi locum alius subrogetur.

D. id. April. Constantinopoli Severo et Rufino conss. [a. 323]

1.56.2

Imp. Valentinianus et Valens AA. ad Germanianum.

Magistratus conficiendorum actorum habeant potestatem.

D. XIII k. Ian. Gratiano np. et Dagalaifo conss. [a. 366]

DE OFFICIO IURIDICI ALEXANDRIAE.

1.57.1

Imp. Leo et Anthemius AA. Alexandro duci et praefecto Augustali.

Iubemus apud Alexandrinae dumtaxat clarissimae civitatis iuridicum licitum et concessum esse singulis quibusque volentibus donationis conscriptae sollemniter instrumenta reserare, eisdemque robur adiciet gestorum series apud eundem virum confecta, tamquam si apud virum clarissimum moderatorem provinciae vel magistratus vel defensorem plebis habita fuisse diceretur.

D. k. Sept. Constantinopoli Zenone et Marciano conss. [a. 469]